DICTA SAPIENTUM E GRÆCIS ERASMO INTERPRETE.

I



R

Edinburgi,

APUD IOHANNEM ROSSEUM. ANNO. 1580.

DICTA SAPIENTVM E GRÆCIS ERASMO INTERPRETE.

¶PERIANDRI CORINTHII.

OMNIBVS placeto. Bona res quies. Periculoſa temeritas. Semper voluptates ſunt mortales, honores autem immortales.
Amicis aduerſa fortuna vtentibus idem eſto.
Lucrum turpe, res peſſima.
Quicquid promiſeris facito.
Infortunium tuum celato, ne voluptate afficias inimicos.

Veritati adhæreto. Age que iuſta ſunt.
Violentiam oderis. Principibus cede.
Voluptate tempera. A iureiurando abſtine
Pietatem ſectare. Laudato honeſta.
A vitijs abſtine. Beneficium repende.
Supplicib' miſericors eſto. Liberos inſtitue.
Sapientũ vtere cõſuetudine. Litem oderis.
Bonos in pretio habeto. Audi que ad te pertinẽt
Probrum fugito. Reſponde in tempore.
Ea facito, quorum te non poſſit pœnitere.
Ne cui inuideas. Oculis moderare.
Quod iuſtum eſt, imitare. Bene meritos honora.
Spes foue. Calumniam oderis.

Affabilis

Affabilis eſto.
Diutinã amicitiã cuſtodi.
Concordiam ſectare.
Ne loquaris ad gratiam.
Teipſum ne negligas.
Mortẽ oppete pro patria.
Ex ingenuis liberos crea.
Parcito tanquã immortalis.
Arcanum cela.
Oportunitatẽ expectato.
Largire cum vtilitate.
Dolorem fuge.
Amicis vtere.
Delecta amicos.

Cũ erraris, muta cõſiliũ.
Omnib⁹ teipſum præbe.
Magiſtratus metue.
Ne tempori credideris.
Seniorem reuerere.
Ne quauis de re doleas.
Sperato tanquã mortalis.
Ne efferaris gloria.
Cede magnis.
Mortalia cogita.
Ne prior iniuriam facias.
Mortuum ne rideto.
Conſule inculpate.

¶BIANTIS.

IN ſpeculo teipſum contemplare, & ſi formoſus apparebis, age quæ deceant formam. Sin deformis, quod in facie minus eſt, id morum penſato pulchritudine.

De numine ne male loquare: quid ſit autẽ auſculta.
Audito multa, loquere pauca.
Prius intellige, & deinde ad opus accede.
Ne ob diuitias laudaris virum indignum.
Perſuaſione cape, non vi.
Compara in adoleſcentia quidem modeſtiam, in ſenectute Prudentiam.

¶PICTACI MITYLENÆI.

QVÆ facturus es, ea ne prædixeris: fruſtratus enim rideberis. Depoſitum redde.
A familiarib⁹ in minutis reb⁹ læſus feras.

Amico ne maledixeris. Inimicum ne putes amicũ.
Vxori dominare. Quæ feceris parentibus, eadem liberis à expecta. Deſidioſus ne eſto.
Inter amicos ne fueris iudex.
Ne contende cum parentibus, etiam ſi iuſta dixeris.
Ne geras imperium, priuſquam parere didiceris.
Infortunatũ ne irriſeris. Ne lingua præcurrat mẽtẽ.
Quæ fieri non poſſunt, caue concupiſcas.
Ne feſtines loqui. Legibus pare.
Noſce teipſum. Ne quid nimis.
Ante omnia venerare numen.
Parentes reuerere. Audito libenter.
Voluptatem coerce. Inimicitiam ſolue.
Vxorem ducito ex æqualibus, ne ſi ex ditioribus duxeris, dominos tibi pares, non affines.

CLEOBVLI LYNDII.

NE ſis vnquam elatus. Domus curam age.
Libros euolue. Liberos tibi chariſſimos erudi.
Iuſte iudicato. Bonis benefacito.
A maledicentia temperato. Suſpicionem abijcito.
Parentes patiẽtia vince. Beneficij accepti memẽto.
Inferiorem ne reijcias. Aliena ne concupiſcas.
Ne teipſum præcipites in diſcrimen.
Res amici diliges, & perinde ſerues vt tuas.
Quod oderis alteri ne feceris.
Ne cui mineris, eſt enim muliebre.
Citius ad infortunatos amicos, quam fortunatos proficiſcere. Lapis auri index, aurum hominũ.
Voto nihil pretioſius.

Mendax

Mendax calumnia vitam corrumpit.
Mendaces odit quiſquis prudens ac ſapiens.

¶CHILONIS LACEDÆMONII.

NOſce teipſum. Ne cui inuideas mortalia.
Temperantiã exerce. Turpia fuge.
Tempori parce. Iuſte rem para.
Multitudini place. Sapientia vtere.
Moribus probatus eſto. Ne quid ſuſpiceris.
Oderis calumnias. Ne fueris oneroſus.

¶SOLONIS ATHENIENSIS.

DEVM cole. Parentes reuerere.
Amicis ſuccurre. Nemini inuideto.
Veritatem ſuſtineto. Ne iurato.
Legibus pareto. Cogita quod iuſtum eſt.
Iracundiæ moderare. Virtutem laudato.
Malos odio perſequitor.

¶THALETIS MILESSII.

PRincipem honora. Amicos probato.
Similis tui ſis. Nemini promittito.
Quod adeſt boni cõſulito. A vitijs abſtineto.
Gloriam ſectare. Vitæ curam age.
Pacem dilige. Laudatus eſto apud omnes.
Suſurronem ex ædibus eijce.

¶FINIS.

Guilielmi Lilii ad ſuos diſcipulos monita Pædagogica, ſeu Carmen de moribus.

QVI mihi diſcipulus puer es, cupis atq; doceri
Huc ades, hæc animo concipe dicta tuo.
Mane citus lectũ fuge, mollẽ diſcute ſomnũ
Templa petas ſupplex, & venerare Deum.
Attamen in primis facies ſit lota manuſque:
Sint nitidæ veſtes comptaque cæſaries,
Deſidiam fugiens, cum te Schola noſtra vocarit.
Adſis: nulla pigræ ſit tibi cauſa moræ.
Me Præceptorem cum videris, ore ſaluta,
Et condiſcipulos ordine quoſque tuos.
Tu quoque fac ſedeas, vbi te ſediſſe iubemus,
Inque loco, niſi ſis iuſſus abire, mane.
At magis vt quiſque eſt doctrinæ munere clarus,
Sic magis in clara ſede locandus eris.
Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli.
Sint ſemper ſtudijs arma parata tuis;
Si quid dictabo, ſcribes, at ſingula recte:
Nec macula, aut ſcriptis menda ſit vlla tuis.
Sed tua nec laceris dictata, aut carmina chartis
Mandes, quæ libris inſeruiſſe decet.
Sæpe recognoſcas tibi lecta, animoque reuoluas:
Si dubites, nunc hos conſule, nunc alios.
Qui dubitat, qui ſæpe rogat mea dicta tenebit:
Is qui nil dubitat, nil capit inde boni.
Diſce puer, quæſo, noli dediſcere quicquam,

Ne

Ne mens te inſimulet, conſcia deſidiæ.
Siſque animo attentus: quid enim docuiſſe iuuabit,
Si mea non firmo pectore, verba premis?
Nil tam difficile eſt quod non ſolertia vincat:
Inuigila, & parta eſt gloria militiæ.
Nam veluti flores tellus nec ſemina profert,
Ni ſit continuo victa labore manus.
Sic puer ingenium ſi non exercitet, ipſum
Tempus, & amittet ſpem ſimul ingenij.
Eſt etiam ſemper lex in ſermone tenenda,
Ne nos offendat improba garrulitas.
Incumbens ſtudio, ſubmiſſa voce loqueris.
Nobis dum reddis, voce canorus eris.
Et quæcunque mihi reddis, diſcantur ad vnguem,
Singula & abiecto verbula redde libro.
Nec verbum quiſquam dicturo ſuggerat vllum:
Quod puero exitium non mediocre parit.
Si quicquam rogito, ſic reſpondere ſtudebis.
Vt laudem dictis, & mereare decus.
Non lingua celeri nimis, aut laudabere tarda:
Eſt virtus medium, quod tenuiſſe iuuat.
Et quoties loqueris, memor eſto loquare Latine,
Et veluti ſcopulos, barbara verba fuge.
Præterea Socios quoties te cunque rogabunt
Inſtrue, & ignaros, ad me vota trahe.
Qui docet indoctos, licet indoctiſſimus eſſet,
Ipſe breui reliquis, doctior eſſe queat.
Sed tu nec ſtolidos imitabere Grammaticaſtros,
Ingens Romani dedecus eloquij.
Quorum tam fatuus nemo, aut tam barbarus ore
Quem non authorem barbara turba probet. (eſt

Grammaticas recte ſi vis cognoſcere leges,
Diſcere ſi cupias cultius ore loqui:
Addiſcas veterum, clariſſima ſcripta virorum,
Et quos Authores, turba Latina docet.
Nunc te Virgilius, nunc ipſe Terentius optat,
Nunc ſimul amplecte tu Ciceronis opus.
Quos qui non didicit, nil præter ſomnia vidit,
Certat & in tenebris viuere Cimmerijs.
Sunt quos delectat (ſtudio virtutis honeſtæ
Poſthabito) nugis tempora conterere.
Sunt quibus eſt cordi, manibus, pedibuſue ſodales
Aut alio quouis ſollicitare modo.
Eſt alius, qui ſe dum clarum ſanguine iactat,
Inſulſo reliquis improbat ore genus.
Te tam praua ſequi nolim veſtigia morum,
Ne tandem factis præmia digna feras.
Nil dabis aut vendes, nil permutabis emeſue,
Ex damno alterius commoda nulla feres.
Inſuper & nummos, irritamenta malorum,
Mitte alijs: puerum nil niſi pura decent.
Clamor, rixa, ioci, mendacia, furta, cachinni,
Sint procul à vobis, Martis & arma procul.
Nil penitus dices, quod turpe, aut non ſit honeſtū,
Eſt vitæ, ac pariter ianua lingua necis.
Ingens crede nefas, cuiquam maledicta referre:
Iurare, aut magni numina ſacra Dei.
Denique ſeruabis res omnes, atque libellos,
Et tecum, quoties iſque rediſque, feres.
Effuge vel cauſas faciunt quæcunque nocentem,
In quibus & nobis diſplicuiſſe potes.

¶ FINIS.